# XV.

# Programm

des

# Stadtgymnasiums zu Stettin

## Ostern 1884.

---

Inhalt:

Praemissa expositione eius consilii quod Aristophanes in Thesmophoriazusis secutus est de locis quibusdam eiusdem fabulae deque Andromeda euripidia agitur. Vom Oberlehrer Dr. Haag.

Schulnachrichten. Vom Direktor Hugo Lemcke.

STETTIN.
Druck von Herrcke & Lebeling.
1884.

1884. Progr.-Nr. 126.

## Praemissa expositione eius consilii quod Aristophanes in Thesmophoriazusis secutus est de locis quibusdam eiusdem fabulae deque Andromeda euripidia agitur.

Bene memor quid cum alii tum nuper Mueller-Struebing[1]) contra latinae linguae in huiuscemodi scriptis usum monuerint nescio an hic nunquam Te, Hugo Lemcke, latino sermone affatus essem, nisi complures condiciones hoc temporis momento id ut facerem mihi suasissent. Primum enim publica hac occasione scribendi data Tecum non modo amicus cum amico sed etiam magister cum rectore graecae latinaeque scholae acturus sum, tum vero discessum mihi Stetino paranti quid venustius contingere potuit quam ut ita sollemniter probem quam arte necessitudines nostrae tot per annos ne semel quidem turbatae coniunctionis graecae latinaeque antiquitatis cum studio cohaereant; postremo latine nonnulla liberius proferre potero quae hoc in programmate discipulis obvio vernacula lingua si dedissem forsitan verecundiam quae debetur discipulis laesissem.

Argute vero Goethius[2]) animadvertit licere ludimagistris ubi latine scribant assumere nescio quid insignioris habitus quam reliquae eorum vitae condicioni concessum sit. Itaque

---

[1]) „Es scheint wirklich, als ob die lateinische Sprache, so vortrefflich sie zur Behandlung rein, ich möchte sagen, abstract wissenschaftlicher Fragen, zu grammatischen Untersuchungen, zu theoretischer Zusammenfassung und Systematisierung schon gewonnener wissenschaftlicher Resultate sich eignen mag, dennoch, sobald sie zur Darstellung vollerer reicherer Lebensverhältnisse, zur Schilderung lebendiger Zustände in all ihrer Mannigfaltigkeit von modernen Gelehrten benutzt wird, die Eigenschaft besitzt, über den Gegenstand für den Schreiber selbst einen gewissen Nebelschleier auszubreiten, der die Schärfe der Umrisse abstumpft und die Fülle der Farben in ein mattes eintöniges Grau auflöst; — mit andern Worten, als ob der reich nüancierte moderne Gedanke, sobald er das ihm allein ganz angemessene und natürliche, weil von ihm selbst produzierte Medium der Mitteilung aufgiebt und statt dessen ein fremdes, ihm doch immer nur äusserliches, immer nur angelerntes willkürlich sich wählt, im Kampf mit diesem Medium und in dem doch vergeblichen Bestreben, die Starrheit desselben ganz flüssig zu machen, Etwas, und ein bedeutendes Etwas, von seiner frischen Ursprünglichkeit opfern muss; ja als ob ein guter Teil der Kraft, die sonst in dem Bestreben, sich und andern den Gegenstand selbst anschaulich zu machen, ganz aufgehen würde, in diesem nebensächlichen Kampf nutzlos vergeudet wird.“ Aristophanes und die historische Kritik. Leipzig, Teubner, 1873. S. 8.

[2]) „Der Schulmann, indem er lateinisch zu schreiben und zu sprechen versucht, kommt sich höher und vornehmer vor, als er sich in seinem Alltagsleben dünken darf.“

non video cur huius mihi scholasticae sicuti Eichstaedtio[3]) quondam academicae latinitatis deprecatio exhibenda sit: dummodo habeam quod dicam

*verbaque provisam rem non invita sequantur.*

Facile eum errare qui summatim et universe iudicet omnibus fere consentaneum est. Ut Bernhardyus erravit quasi de tripode effatus: accurate contemplando choricas fabularum partes nos fere semper id consilium assequi posse quod quaque in fabula Aristophanes sit secutus[4]). Dubito enim num quid plus proficiamus choricas in partes Avium, Lysistratae, Thesmophoriazusarum, Ranarum — nedum Ecclesiazusarum et Pluti — hac de re inquirentes quam si ceteras fabularum partes consuluerimus.

Sic Bernhardyo idem quod multis aliis evenisse videmus ut e fabulis ante Ol. 90 actis sibi quandam imaginem non tam veram quam praeclaram aristophaniae artis formaret acsi post illud tempus hic poeta plane obmutuisset.

Quod si quis illud consilium quod animo poetae in Thesmophoriazusis obversatum est indagare vult, ante omnia temporum illorum rationem habeat necesse est quaeratque qui tum fuerit reipublicae status. Nam recte primus Suevern, tum alii, postremus Mueller-Struebing affirmavit semper Aristophanem respicere rempublicam etiamsi longe aliorsum spectare videatur.

Siculae autem expeditionis tempore valde immutata erat comoediae factitandae condicio. Jam multo antea Pericles legem in comoediam maledicam per aliquem suae factionis tulerat: qua lege vetitum erat *τινὰ κωμῳδεῖν* i. e. personam ad formam faciemve cuiusquam efficere aut cives suo quemque cum nomine in scaenam producere. Lata haec lex est Ol. 85, 1. Qua lege paulo post usu antiquata Ol. 91, 1 Syracosio latore legis iterum populo placuit *μηδένα ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν*[5]). Auctores vero huius plebisciti optimates erant qui secretis machinationibus societatibusque rem vere publicam invertere studebant id agentes ut summa potestas penes paucos esset. Tum igitur ipsum — paulo ante Aves actam — illis optimatibus cavendum erat „ut ne sua flagitia palam castigarentur“[6]). Qui cum initio anni Ol. 92, 1 gubernaculum reipublicae Pisandro duce sibi arrogassent, iam multo magis quam antea habebant cur hanc legem integram servari vellent. Quo fiebat ut Aristophanes in eis fabulis quae Lenaeis (Lysistrata) et magnis Liberalibus (Thesmophoriazusae) actae sunt[7]) res publicas non nisi parcis allusionibus attingeret[8]). Etiam Cratinus antea cum Ol. 85 comicae musae licentia imminueretur, *Ὀδυσσέας* fecerat qua in fabula omissis rebus publicis — parabasis ibi nulla erat — Homerum per ludibrium imitatus est[9]).

---

[3]) Eichstaedt. Deprecatio latinitatis academicae Jenae 1822.

[4]) Historia graec. litt. II. 2. p. 528. Ibi tum haec Bernhardyus addidit: „Die raschen, contrastierenden Wendungen, welche das Drama durchlief, befreiten den Chor immer mehr von seiner angenommenen Hülle, bis er geläutert vom Wahn der Parteien oder überwunden (Acharn. nubb. vespp.) offen in das Motiv des Dichters eingeht und mit wachsender Befriedigung seine Tendenz vertritt.“

[5]) Schol. Avv. 1297.

[6]) Cobet Plat. Rel. 41.

[7]) Sequor hic Jaepium locupletissimum de Thesmophoriazusarum tempore auctorem.

[8]) v. 361–364. v. 809. v. 1143. Numeri versuum omnino sunt Bergkianae recensionis.

[9]) Non video cur id Bernhardyus negare debuerit. l. l. II. 2. p. 518: „Es ist nicht eben glaublich, dass dieser Dichter in einer Zeit, als die politische Redefreiheit der Komödie beschränkt oder vielmehr durch Psephisma bedroht wurde, zur Travestie als einem Verstecke seine Zuflucht nahm.“ —

Imprimis vero parabasis Thesmophoriazusarum, exilior illa et languidior, nos edocet optimum florem reipublicae tum temporis intercidisse. Jam in Avibus parabasis nihil spirat prioris impetus et ingenuitatis. Lysistrata autem tribus mensibus ante Thesmm. acta plane carebat parabasi. Postquam enim siculo bello robur atticae inventutis interiit, valde afflicta et desolata respublica videbatur ita ut tristior quispiam haud absone queri posset fere neminem iam nisi mulieres aut senes esse in urbe superstites. Hinc aptissima Lysistratae fabulae materia oriebatur. Verum poetae qua pollebat inveniendi facilitate iam aliud e misero hoc civitatis statu argumentum nascebatur, illud dico quod est in Thesmophoriazusis.

Inde ab eo tempore quo probus ille orator (*λόγος δίκαιος*) in Nubb. fabula Phidippidem admonuerat[10]) ne effeminari se sineret luxu et desidia novae disciplinae (*λόγου ἀδίκου*) iam altius in dies serpserat reipublicae labes, cum prisca illa et severa disciplina qua quondam cum corporibus animi adulescentium corroborari et concitari assueverant prorsus fere evanuisset (dico haec Aristophanis ex animo et sententia). Cuius corruptelae reus praecipue Euripides Aristophani esse videbatur quem iam in Acharnensibus enervium et misellarum personarum quasi opificem et fabricatorem induxerat. Immo sub persona illius *ἀδίκου λόγου* qui velut dirum fatum et pestis certa civitati impenderet C. Ferd. Rankius[11]) Euripidem latere coniecit. Quamquam haec quidem nil nisi coniectura est; at in priore Nubium recensione insignes partes Euripidem habuisse Teuffelius (cum Buechelero) probavit, nisus duobus illis versibus qui apud Diog. Laertium e prioribus Nubb. leguntur[12]). E deperditis comici nostri fabulis Autolycus, Erechtheus, Polyidus, Phoenissae proprie in Euripidem scriptae fuisse videntur[13]).

Omnino „de Aristophane Euripidis irrisore“ egerunt F. Blanchet[14]) et R. A. Rudloff[15]). Blanchet (p. 14) Euripidem „1. malum poetam, 2. pessimum civem, 3. contemptorem religionum“ Aristophani fuisse irrisui vult[16]). Sed haec commentatio nimis pendet e Roetscheri illo obsoleto et Hegelianismis referto libro cui titulus est „Aristophanes eiusque aetas“. Paulo accuratius Rudloff rem tractat; is Euripidem 1. privatum, 2. sophistam, 3. poetam ab Aristophane irrisum sibi tractandum sumpsit ac recte censet „comici omnem irrisionem pro comoediae finibus spectare ad Euripidem malum civem“ (p. 8). Praeterquam autem quod Rudloff bene meritus est de prologis ab Euripide compositis nescio an multo ampliorem materiam praebeat Euripides ab Aristophane irrisus quam quae sexaginta vel septuaginta paginis accurate absolvi possit. Hinc fit ut multa ab utroque commentatore aeque obiter tractata sint. — Woldemarus

---

[10]) Nubb. v. 1015: *ἦν δ' ἅπερ οἱ νῦν ἐπιτηδεύῃς,*
*πρῶτα μὲν ἕξεις χροιὰν ὠχράν,*
*ὦμους μικρους, στῆθος λεπτόν,*
*γλῶτταν μεγάλην, πυγὴν μικράν,*
*κωλῆν μεγάλην, ψήφισμα μακρὸν κτλ.*

[11]) Vita Aristophanis p. 452.

[12]) Teuffel ed. Nubb. 1867 praef. p. XX.

[13]) Meineke historia critica com. graec.

[14]) F. Blanchet. De Aristophane Euripidis irrisore. Argentorati 1855. 64 pp.

[15]) R. A. Rudloff. De Aristophane Euripidis irrisore diss. Berol. Typis Gust. Schade 1865. 70 pp.

[16]) Quam neglegenter interdum Blanchet egerit, luculento exemplo est hic error p. 34: „Servos Aristophanes summo in contemptu habet indignaturque civitate a Plataeensibus quanquam propter insignia beneficia donatos fuisse“. Reputanti mecum unde haec ariolatio Blanchetio oborta sit mihi occurrunt illi versus Aristoph. Ranu. 693, 694, quos nimia levitate Bl. perperam intellexit. —

Ribbeck (Die Acharner des Aristophanes. Leipzig, Teubner, 1864) in appendice pro viribus omnes locos Aristophanis collegit in quibus tragicorum irrisio est[17]). — Ceterum mihi opprobrio non futurum spero quod hanc argumento meo haud inhaerentem quaestionem (Euripidem in ceteris nostri comici fabulis tractatum) ita perstrinxi. —

Cum igitur et Lysistrata et Thesmophoriazusae originem duxerint e tristi condicione civitatis quae viris fere orbata videbatur (Lysistr. v. 524: *οὐκ ἔστιν ἀνὴρ ἐν τῇ χώρᾳ*), in Thesmophoriazusis pro sollertia sua Aristophanes rem ita variavit ut una cum mulieribus quasi mulierem quandam Euripidem, perditorem illum inventutis et vexatorem feminei sexus, tractaret.— Sed forsitan quispiam opinetur hanc nostram esse ablegandam inter *ἐπειροδιώδεις* fabulas cuius generis Cratini priores fabulae fuerant et quarum naturam Aristoteles (Poet. cap. 9) descripsit: *λέγω δὲ ἐπειροδιώδη μῦθον ἐν ᾧ τὰ ἐπειρόδια μετ' ἄλληλα οὔτ' εἰκὸς οὔτ' ἀνάγκη εἶναι* (ed. Immanuel. Bekker. tertiis curis. Berol. 1859, p. 159). Ex Aristotelis igitur iudicio *ἐπειροδιώδης* ea fabula est cuius *ἐπειρόδια* nec verisimilem nec necessariam consecutionem habeant et unam argumenti compagem non faciant vel quae adventitiis personis et acroamatis cum ipso fabulae argumento parum cohaerentibus laboret. Contra J. G. Droysenius[18]) et ob totius argumenti dispositionem et ob actuosam omnium scaenarum naturam hanc nostram adnumerat illis fabulis quarum structura suum orbem optime conficiat. Ac certe dummodo reputaverimus in illo iocoso comici poetae mundo ubi summa imis pro libitu miscentur nihil contra rationis regulas fieri non posse: continuatio seriesque rerum nostra in fabula excepta illa peroratione v. 1226 sqq.[18a]) talis est ut alia ex alia nexa et omnes inter se aptae colligataeque videantur. — Si vero huic fabulae ut cuivis operi affabre et artificiose facto una et certa quaedam *ἰδέα* inest, quid si odorari audeam individuum id consilium? Nam nimis ieiunum est frigidumque dicere et mulieres et Euripidem hac fabula esse irrisos. Haec est Zastrae[19]) sententia. Si ita foret, huic fabulae duplex quoddam et dissolutum consilium subesset.

Hic autem commonefacio et ab Aristophane et ab aliis comicis ut Euripidem ita mulieres impudicas vinosasque nonnunquam antea esse notatos. Nisi igitur ad hos satis tritos sales novum et ingeniosum quoddam consilium in Thesmm. fabula accederet, poeta de se praedicare nequiret (Nubb. 546):

*οὐδ' ὑμᾶς ζητῶ 'ξαπατᾶν δὶς καὶ τρὶς ταὐτ' εἰσάγων,*
*ἀλλ' ἀεὶ καινὰς ἰδέας εἰσφέρων σοφίζομαι,*
*οὐδὲν ἀλλήλαισιν ὁμοίας καὶ πάσας δεξιάς.*

---

[17]) l. l. pp. 277—315 de Euripide sunt.

[18]) Des Aristophanes Werke übersetzt. Berlin 1838. III. p. 231: „Man darf wohl gestehen, dass diese Komödie eine der abgerundetsten und geistvollsten Kompositionen des Aristophanes sei; bei aller Bosheit des Spottes verliert sie nie jene heitere Anmuth, welche auch den perfiden Persönlichkeiten eine minder verletzende Form zu leihen vermag; und die Situationen sind von schlagendem, faktischen Witz und von ungesuchter, gleichsam überredender Bedeutsamkeit."

[18a]) Nequaquam me fugit *ἐπειροδιώδη* esse illam chori perorationem quae ut est disparata nimis praefractum fabulae finem faciat.

[19]) Julius Zastra. Ueber den Zweck von Aristophanes Thesmophoriazusen. Progr. des Breslauer kathol. Gymn. 1841, p. 16: „Ich glaube nicht mit Unrecht behaupten zu können, dass Aristoph. in unsrer Komödie die Weiber wenigstens ebenso, wie den Euripides, durchzuziehen die Absicht hatte, und dass er sich eben so sehr der Frauen bedient hat, um den Euripides zu geisseln, als des Eurip. oder vielmehr des Mnesilochus, der den Eurip. vertheidigt, um die athenischen Damen zu persiflieren." Et paulo infra: „So dürfte den Thesmm. eine doppelte

Nova sane ratio erat si Euripides vel mulierculis a quarum tamen indole euiripidiae poeseos natura parum differret invisus et execratus esse fingebatur. Nam Agathonem et Euripidem eadem fabula qua mulieres Aristophanes ideo irrisui dedit quod his poetis praesertim si Aeschylum contra obtuearis muliebre quiddam inest. Ut λόγος ἄδικος in Nubb. ita Euripides et tota illa sophistarum secta nihil reliqui fecit quominus iuventus effeminetur et a patrita atque avita virtute abducatur. Et ex Euripidis superstitibus fabulis iudicari potest Aristophani antiquitatis illi admodum aemulo hoc novum genus fabularum placere non potuisse. Quo genere et dicendae et tacendae orationis veneres tricaeque in tragoediam invectae sunt. Unde pedetemptim fracta et elumbis tragoedia evasit, muliebri quadam mobilitate et fluctuatione laborans. Ergo cum ferrea illa maiorum gravitas et virilis constantia ab his poetis in oblivionem sint deductae, Aristophanes talium poetarum naturam moresque quodammodo consummavit, istiusmodi poetas prorsus muliebri habitu nostra in fabula exornans.

Quaerenti vero mihi quomodo Agatho et Euripides irrisi sint id comicus egisse videtur ut Agatho sibi constantior in mollitie et argutior appareat quam ipse Euripides. Quo enim quis accuratius et studiosius certam quandam vivendi rationem qualiscunque est sequitur, eo magis hunc aliis eisque minus strenuis eiusdem rei sectatoribus anteponere solemus. Itaque ad effeminandam et tragoediam et civitatem cum uterque poeta faciat, Agatho tamen propius quam Euripides ab eo fine quo uterque tendit abesse videtur, professus v. 149:

χρὴ γὰρ ποιητὴν ἄνδρα πρὸς τὰ δράματα,
ἃ δεῖ ποιεῖν, πρὸς ταῦτα τοὺς τρόπους ἔχειν.
αὐτίκα γυναικεῖ' ἦν ποιῇ τις δράματα,
μετουσίαν δεῖ τῶν τρόπων τὸ σῶμ' ἔχειν.

Propterea Agatho muliebri habitu et vestitu quem initio fabulae Euripides assumere reformidat libenter indutus procedit. Insuper ne ipsum magis quam Euripidem mulieres diris precibus detestentur iure Agatho pertimescit v. 204; muliebria enim pati solitus debita Veneris munera mulieribus imminuerat. Discipulus igitur sollertiorem et peritiorem sese novae nequitiae praestitit quam auctor et inceptor illius nequam artis; immo Agatho Euripidi auxilium petenti immoto cum animo repulsam dat, id euripidiis versibus excusans[20]), ita ut ille veterator acerbe edoceatur mala consilia dictaque iure in auctorem recidere.

Haec aptissime Aristophanes e natura utriusque poetae finxit. Agatho scilicet maiore cum audacia quam Euripides in legitimam tragoediae et formam et materiam grassatus est: constanter enim ἐμβόλιμα choro dedit, fabulosa et a maioribus tradita argumenta interdum plane neglexit (exemplo sit ἄνθος eius fabula) Aristot. poet. cap. 9, figuratam illam et a sophistis allatam dictionem praeter ceteros excoluit. Quin magis quam Euripides deditus novae musicae Cinesiae, Phrynidis, Timothei aliorum erat quae a simplici veteris musicae gravitate mirum quantum desciverat.[21]) Sic ad novandum omnino pronior promptiorque Agatho fuisse videtur quam ipse Euripides.

Nihilominus tamen Euripidem longe maiorem et celebriorem poetam vel potius pestem esse cum Aristophani persuasum esset, hunc multo impensius insectatur quam Agathonem.

Tendenz zum Grunde liegen, die in der höchst sinnreich und kunstvoll verknüpften Verspottung des Eurip. und der Weiber ihre genügende Erklärung findet."

[20]) v. 194. Et versibus 198, 199 suspicor irrisionem inesse euripidii cuiusdam dicti. — De Agathone cum Euripide comparato Bernhardy l. l. II. 2. p. 201. — [21]) Bernhardy hist. graec. litt. II. 2. p. 56, 57.

Quando quidem astutae et dolis plenae sunt mulieres, recte Orestes (Eurip. Iphig. Taur. v. 1032):

δειναὶ γὰρ αἱ γυναῖκες εὑρίσκειν τέχνας.

Quae verba si vera sunt — et Euripides ipse ea edidit — concinne Aristophanes in mulierum quasi numerum Euripidem recepit, hunc quidem mulieribus ipsis versutiorem. Hanc Euripidis indolem multi loci nostrae fabulae testantur.

V. 94 Mnesilochus:

τοῦ γὰρ τεχνάζειν ἡμέτερος ὁ πυραμοῦς.

V. 426 mulieres:

ᾠκότριψ Εὐριπίδης.

V. 926 Euripides ad Mnesilochum:

οὐ γὰρ προδώσω σ' οὐδέποτ' ἤντερ ἐμπνέω,
ἢν μὴ προλίπωσ' αἱ μυρίαι με μηχαναί.

V. 1131:

ἀλλ' ἄλλην τινὰ
τούτῳ (τῷ τοξότῃ) πρέπουσαν μηχανὴν προσοιστέον.

Etiam garrulitas quae est propria mulierum provincia Euripidi ab Aristophane attribuitur. Rann. 1069: εἶτ' αὖ λαλιὰν ἐπιτηδεῦσαι καὶ στωμυλίαν ἐδίδαξας.

Rann. 815: ὀξυλάλου — ἀντιτέχνου.

Uberrimam vero ad irridendum copiam Aristophani eae Euripidis fabulae porrigebant quae post Ol. 90 actae sunt. De quibus fabulis quamvis inflato — ut solet — ore Bernhardyus at non sine ratione quadam ita iudicavit[22]): maximam partem earum fabularum quas post Ol. 90 Euripides docuerit cum temeritate quadam et nimia festinatione ita esse confectam ut prolixus et inanis sermo non minus quam fabularum argumentum et dispositio neminem legentem non offendat. Cautius quidem Odofred. Mueller Hist. graec. litt. II. p. 155, p. 166.

Cum vero in Ranarum fabula Aristophanes accuratam censuram euripidiae artis ediderit, in Thesmophoriazusis imprimis eiusmodi locos ex Euripidis fabulis perstrinxit qui essent circa mulieres[23]). Nam praeter illud specimen quod in Palamede Euripides machinationum is auceps dedit, irrisum Thesmm. 769—784, 846—48, ubi Oeacem remos pro litteris in mare proicientem Mnesilochus imitatur, sunt Helenae et Andromedae fabularum ab Euripide priore anno datarum partes quaedam in Thesmm. ad verbum expressae. Mnesilochus enim pro tempore modo Helenae modo Andromedae personis suum in commodum abusus lepidissime eam quam ab initio induerat feminae personam continuat.

Molliculas vero et querulas has voces ne probam quidem mulierem nedum virum decere Aristophanes probare voluit cum Mnesilochum Andromedam personatam agentem in Thesmm. fecit.

Neque tamen nostro poetae satis est Agathonem, Euripidem, Mnesilochum mulierum in formam redegisse. Clisthenes quoque mulierosus ille et effeminatus homullus quem illusurae Nubes mulierum speciem assumpserant, suas in Thesmm. partes obtinuit v. 576: προξενῶ

[22]) Bernhardy l. l. II. 2. p. 375: „In der Mehrzahl der Dramen, die nach Ol. 90 fallen, wächst und verletzt der Mangel an Gründlichkeit; das Uebergewicht der ochlokratischen Eile verrathen Flachheit und Weitschweifigkeit, bis zuletzt sorglose Manier und Mechanismus in Handhabung bequemer Phraseologie den breitesten Raum einnehmen."

[23]) Socrates in Nubb.: καὶ νῦν γ' ὅτι Κλεισθένη εἶδον, ὁρᾷς, διὰ τοῦτ' ἐγένοντο γυναῖκες.

δ'ὑμῶν ἀεί. v. 571: καὶ γὰρ γυνή τις ἡμῖν ἐσπουδακυῖα προστρέχει. Immo mulieres ipsae evincunt[24]) viros praesertim eos qui reipublicae praeessent non modo honestis matronis sed etiam meretricibus et prostibulis esse viliores.

Hic parum consulerem meo proposito nisi provocarem ad Udalrici de Wilamowitz-Moellendorff hac de fabula observationem. Is vir in illo libro[25]) quo demum et populi et urbis Atheniensium primordia et flos in eandem lucem revocata sunt quam ante multos annos Odofr. Mueller Dorium originibus et institutis attulerat, princeps animadvertit haud assecuturum quod Aristophanes in Thesmophoriazusis habuerit consilium nisi qui reputaverit Thesmophoriazusarum contionem in eodem colle haberi ubi populus Atheniensium legitima sua comitia et contiones habere solebat idque eo aptius a poeta nostro sic fingi quod et dearum Θεσμοφόροιν fanum (τὸ Θεσμοφορεῖον) in illo ipso colle situm erat[26]) et in tutela Cereris legiferae (Θεσμοφόρου) populus comitia sua Athenis instituere solebat. Similiter iudices Atheniensium iure iurando ita adactos esse ut per μητέρα ἐν Ἄγραις iurarent. Unde quid aequius erat quam δῆμον γυναικῶν quandoquidem pro salute reipublicae omnino virorum qui a maiorum virtutibus descivissent partes et officia iure quodam in se suscepisset etiam comitia sua in illo colle prope τὸ Θεσμοφορεῖον gerere? Accedit quod universam virilium comitiorum speciem feriantes illae matronae imitantur et multis in formulis verba legitima i. e. comitialia adhibent.

Jamiam id quod supra contenderam clarius apparet latius quam adhuc statuerunt viri docti patere id consilium quod in Thesmm. Aristophanes intenderit. Nec vero tamen quo prorsus errasse putem Zastram et qui cum eo consentiant, sed quia nimis arida mihi videtur horum sententia (et Euripidem et mulieres nescio quo artificio coniunctos in eadem fabula ab Aristophane irrideri): equidem altius repetere argumentum huius fabulae studui.

Virilia autem admodum desiderari, omnia in muliebrem quandam imbecillitatem et pravitatem transiisse non sine gravi recentium poetarum culpa, propterea viros muliebri vel externo habitu dignos, mulieres satis

---

[24]) Thesmm. v. 800—810.

ὑμῶν ἐσμεν πολὺ βελτίους· βάσανός τε πάρεστιν ἰδέσθαι.
βάσανον δῶμεν, πότεροι χείρους. ἡμεῖς μὲν γὰρ φαμεν ὑμᾶς,
ὑμεῖς δ'ἡμᾶς. σκεψώμεθα δὴ κτλ.
Ναυσιμάχης μὲν γ'ἥττων ἐστὶν Χαρμῖνος. δῆλα δὲ τἄργα.
καὶ μὲν δὴ καὶ Κλεοφῶν χείρων πάντως δήπου Σαλαβακχοῦς.
πρὸς Ἀριστομάχην δὲ χρόνου πολλοῦ, πρὸς ἐκείνην τὴν Μαραθῶνι,
καὶ Στρατονίκην ὑμῶν οὐδεὶς οὐδ' ἐγχείρει πολεμίζειν.
ἀλλ' Εὐβούλης τῶν πέρυσίν τις βουλευτὴς ἐστιν ἀμείνων,
παραδοὺς ἑτέρῳ τὴν βουλείαν.; οὐδ' αὐτός τοῦτό γε φήσεις.
οὕτως ἡμεῖς πολὺ βελτίους τῶν ἀνδρῶν εὐχόμεθ' εἶναι.

Et paulo infra v. 819:

καὶ μὴν δήπου καὶ τὰ πατρῷά γε
χείρους ἡμῶν εἰσὶν σώζειν.

nec immerito Fritzschius (ad v. 375 Bergkianae, suae editionis v. 372) coniecit sub Lysillae persona Lysiclem latere, pathicum illum hominem, qui Pericle mortuo amator Aspasiae fuisse dicebatur. Fritzschio Wold. Ribbeck adstipulatus est ed. equitt. ad v. 132.

[25]) Aus Kydathen. Berlin, Weidmannsche Buchhandlung 1880, p. 161, 162 u. 229.

[26]) Cf. chori Thesmm. (v. 657) verba quibus mulieres necesse esse dicunt καὶ περιθρῖξαι τὴν πύκνα πᾶσαν καὶ τὰς σκηνὰς καὶ τὰς διόδους διαθρῆσαι.

iam aptas esse quae curam reipublicae in foro sibi arrogent — id est nostrae fabulae argumentum.

Sed ne quis dicat me mulieres ab Aristophane suggillatas non commemorasse, equidem infitias non ibo mulierum quoque libidines in nostra fabula comico sale adspergi: at quoniam mulieres apud Athenienses multo minoris momenti quam apud nos erant[27]), mulierum vitia secundarium locum in nostra fabula habere consequens est. Nam pro iniqua tum condicione mulierum viri potius in crimine erant, si etiam mulieres a pristina morum integritate degeneraverant. Ergo mulierum vitia hac in fabula minores partes agere crediderim nec alium in finem introduci nisi ut culpa et depravati mores virorum magis adumbrentur.

Quod vero Aristophanes in sollemnibus secretisque sacris ubi profani abesse debebant profanissima quaeque et a mulieribus et a Mnesilocho Euripideque perpetrari finxit, hac ipsa re optime indicatur gliscere reipublicae perniciem, cum degeneribus et viris et mulieribus ne sacra quidem deorum iam sancta et inviolata essent.

Id certe hac expositione effeci ne Bernhardyum sequi videar qui in unicum Euripidem hanc fabulam compositam opinatur. Bernhardyus enim, si recte eius verba interpretor, nil nisi odium illud cui Euripides mulieribus et mulieres Euripidi erant irrisum esse putat[28]). Mihi vero persuasum est probare voluisse Aristophanem Thesmophoriazusis Euripidem quamvis *μισογυνεῖν* videretur revera tamen — idque cum genio sui aevi — *γυναικίζειν*.

Hic mihi liceat de Andromeda illa quae in Thesmophoriazusis praecipuum locum habet nonnulla annectere. Illa quidem de Andromeda et Perseo fabulosa narratio non ad antiquiora tempora videtur esse referenda, quod contra heroicorum temporum naturam nullo proprio ad interficiendum monstrum instrumento Perseus utitur; nam *ἅρπη* illa quod instrumentum capitibus desecandis inserviebat et quod Perseus ad interimendam Medusam adhibuerat[29]) illi heroi in pugna cum *κήτει* gerenda nulli usui esse poterat. Quid igitur mirum quod in antiquissimo quo Perseus et Andromeda deprehenduntur vase fictili Perseus *τὸ κῆτος* lapidibus quos adportat Andromeda profligat. Id quidem vas berolinensis Musei[30]) e Cervetris adquisitum cum picturae tum inscriptionis ratione Corinthi factum esse arguitur. In eandem fere Graeciae regionem alio vestigio deducimur.

Nam si recte coniecit Neumann[31]) in fragmento Alcmanis[32]) scribendum esse *Ἥσκέ τις Καφεὺς ἀνάσσων*[33]) ubi antea *σκαφεὺς* legebatur, apparet e Peloponneso originem duxisse

---

[27]) Quam contemptae vel optimis viris mulieres tum fuerint Periclis illud dictum docet Thucyd. II. 45: *τῆς τε γὰρ ὑπαρχούσης φύσεως μὴ χείροσι γενέσθαι ὑμῖν* (ταῖς γυναιξὶ) *μεγάλη ἡ δόξα καὶ ἧς ἂν ἐπ' ἐλάχιστον ἀρετῆς πέρι ἢ ψόγου ἐν τοῖς ἄρσεσι κλέος ἦ.*

[28]) Bernhardy hist. graec. litt. II. 2. p. 359: „Zuletzt blieb kein ernstes Motiv (für die Verspottung des Euripides) übrig, so dass ein völlig persönlicher Zug den wesentlichen Stoff zu den Thesmophoriazusen hergeben durfte; mindestens merkt man daran die wachsende Berühmtheit des Euripides."

[29]) Monstrum marinum a Perseo *τῷ Γοργωνείῳ* esse in lapidem versum nemo priorum sed unus e posteriorum temporum poetis finxerat (cf. Tzetzes ad Lycophr. V. 836).

[30]) C. Robert. Archäolog. Zeitg., Jahrg. 36 (1878, p. 16, Anm.).

[31]) De Plinii dubii sermonis libris Kiel 1881, p. 62.

[32]) Th. Bergk. Lyrici graeci ed IV, p. 60.

[33]) Hanc Neumanni coniecturam laudavit C. Robert Eratosth. Catasterismorum reliquiae, p. 246.

fabulosam illam de Andromeda et Perseo narrationem. — Fabulosae vero et monstro expositae Andromedae mala saepius comici poetae in risum verterant. Nam post Meinekii hac de re expositionem non est cur amplius disceptemus num omnino tragicus ille Phrynichus fabulam „Andromedam“ scripserit. Comicus potius ille alter et aetate multo minor Phrynichus in quapiam suarum duodecim comoediarum „temulentam anum induxerat quae restim ductaret, ad postremum autem Andromedae instar belluae marinae exponeretur; idque inventum in ludificanda Hyperboli matre imitatus est Eupolis in Marica“[34]). Ad hanc rem allusit Aristophanes. Nubb. v. 551 sqq.:

*Εὔπολις μὲν τὸν Μαρικᾶν —*
*προσθεὶς ταὐτῷ γραῦν μεδύσην τοῦ κόρδακος οὔνεχ' ἥν*
*Φρύνιχος πάλαι πεποίηχ' ἣν τὸ κῆτος ἤσθιεν.*

Quanam in fabula id fecerit Phrynichus in dubio Meinekius reliquit. Fritzschius ei „Andromedae“ nomen temere indidit[35]), nisus Suidae sero testimonio s. v. *Φρύνιχος ὁ Μελανθᾶ.* Tum et Amipsias in Conno et Plato in Cleophonte eandem rem per risum attigerant: „Itaque tantum abest ut Andromeda nil nisi tragica persona fuerit ut spectatores attici a tot comicis inducti longe facilius riserint Andromedam quam deplorarint“[36]). Sophoclis autem Andromedam satyricum drama fuisse iam Casaubonus, tum Brunckius, nuper O. Ribbeck[37]) contenderunt. Contra C. Robert[38]) recte quidem evicit adhuc sub iudice litem hac de re esse, si nil nisi fragmenta Andromedae sophocliae et testimonium illud schol. ad Theocr. IV. 62 consuluerimus. Sed suspicari conor Sophoclem — quae erat eius sua in arte iudicii subtilitas — satyricae fabulae sub forma hoc argumentum ideo tractavisse quod intempestivum risum se moturum apud auditores sensisset dando tragicam huius argumenti fabulam quippe cum Andromeda iam prorsus in tritam comicorum materiam abiisset.

Euripides quidem id periculum subire non dubitavit; is enim multo minus quam Sophocles veritus est certa quaedam voluptatum lenocinia impigro cum studio fabulis suis admiscere. Sicuti Echus personam inducendo aliquid novae gratiae obsoleto argumento afferre studuit. Et prologus certe ab Aristophane is in Ranis omnino notatus ne in Andromeda defuerit non est quod timeamus. Tum monodiis admodum flebilibus pro consuetudine sua fabulam condivit. Insuper apparatum scaenae ita auxit ut Perseum quem in prioribus aliorum poetarum fabulis non per aera sed terra marive advenisse verisimile esse C. Robert merito coniecit[39]) desuper advolantem et Andromedam in ipsa rupe monstro obnoxiam in scaenam produceret. Etiam histrionis virtute hanc fabulam tum quidem placuisse contenderim. Nam cum Dionysius Ran. 53 perlecta Andromeda summo Euripidis desiderio (*πόθῳ*) se captum

[34]) Meineke ad Phrynichi fragm. 13.
[35]) Fritzsche ed. Thesmophor. p. 415.
[36]) Fritzsche l. l.
[37]) O. Ribbeck (Röm. Tragg. p. 163).
[38]) C. Robert. Archäolog. Zeitung 1878, p. 17, Adnot.
[39]) Vix credibile est Andromedam rupi apud Euripidem affixam tantae admirationi fuisse futuram si iam ante Euripidem a poetis tali habitu in scaenam fuisset introducta. Ea igitur una est de illis *μυρίαις μηχαναῖς* de quibus Euripides ipse Thesmoph. 927 gloriatur et quas ei Mnesilochus socer laudi tribuit ibid. 93:

*τοῦ γᾶρ τεχνάζειν ἡμέτερος ὁ πυραμοῦς.*

Aliud genus machinationum erant in Euripidis fabulis *αἱ ἀναγνωρίσεις* quarum optimum inventorem Euripidem ab Aristotele (Poet. c. 16) habitum esse apparet.

professus esset, Hercules eum interrogat: *πόθος; πόσος τις;* Dionysus tum iocatus: *μικρὸς ἡλίκος Μόλων.* Hinc satis liquet nisi *ἀπροσδιόνυσον* ut ita dicam et insulsum quid Dionysus protulerit, neminem alium nisi Molonem Andromedae partes tum egisse cum fabula in certamen demitteretur. Quem Molonem constat (Demosth. 19, 246) unum e protagonistis fuisse Euripidis. — Cum vero praeter ceteros poetas Euripides amores singularium mulierum (*ἐρώσας γυναῖκας* eas Aeschylus vocat Ran. v. 1044) in fabulis suis describendos sibi proposuisset, non tamen adeo Aristophanes hanc Euripidis Andromedam respexit ut integram ipse fabulam Andromedae nomine Euripidem irrisurus fecerit. „Andromedam" autem Aristophanis fabulam commemorat Antiatticista ille a Bekkero editus anecdott. I. 75—117, III. 1074, in consilium vocatus a Rankio, qui sibi ab isto hariolatore tantopere imponi passus est ut Andromedam indici Aristophanis fabularum insereret. — Cum vero errores circa Andromedam natos perlustrare iam coeperimus, iuvat illud quoque notare grammatici cuiusdam commentum: *λέγουσι δὲ καὶ ὅτι γυναῖκες διὰ τοὺς ψόγους, οὓς ἐποίει εἰς αὐτὰς διὰ τῶν ποιημάτων, τοῖς Θεσμοφοριοις ἐπέστησαν αὐτῷ, βουλόμεναι ἀνελεῖν, ἐφείσαντο δὲ αὐτῷ, πρῶτον μὲν δι' αὐτὰς Μούσας, ἔπειτα δὲ βεβαιωσαμένου μηκέτι αὐτὰς κακῶς ἐρεῖν.* Nitidum hunc errorem nostra ex fabula ortum affert Fritzschius ed. p. 536 e vita euripidea a Rossignolo in Diar. eruditorum Gallicis m. April 1832 e codice quodam edita. — Pari modo ineptit Eunapius (corpus script. hist. Byz. I. p. 79) pro veris narrans ea quae Lucianus (de conscrib. hist. c. 1) de Abderitis Andromedae euripidiae amore Lysimachi regis Thraciae tempore insanientibus finxerat. Ceterum nec ab Hartungio (Eurip. restit. II. p. 570) nec a Carolo Robert (Archaeolog. Zeitung 1878 a. a. O.) hunc si non simium Luciani at certe nebulonem esse detectum aut vituperatum iure mireris. Hartungi enim verba haec sunt: „Eandem rem auctiorem Eunapius rettulit, Neronis tempore accidisse perhibens." Caroli Robert verba haec sunt: „Dass des Euripides Andromeda noch unter Nero aufgeführt wurde, steht durch das Zeugniss des Eunapius fest." Lucianus narrat Abderitas, Eunapius cives „semibarbarae" cuiusdam urbis mira arte actoris tragoedi cui Luciano teste nomen Archelao erat Euripidis Andromedam nonnullos per dies agentis adeo esse captos et percussos ut septimo die morbus ille quo quasi febri quadam affecti essent maxime ingravesceret. Aestivo calore morbus erat auctus. Illo ipso autem die apud Lucianum *τοῖς μὲν αἷμα πολὺ ἐκ ῥινῶν ῥυέν, τοῖς δὲ ἱδρὼς ἐπιγενόμενος . . . ἔλυσε τὸν πυρετόν.* — Eodem contra die apud Eunapium — risum teneatis amici — *διαῤῥοίας ἀκρατοῦς ἅμα ἐπιπεσούσης ἐν τοῖς στενωποῖς παρεθέντες ἔκειντο κακῶς ὑπὸ τῆς Ἀνδρομέδας ἐπιτριβόμενοι καὶ ἐχῤῥώθη τε ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν ἡ πόλις ὥστε ἐκ τῶν προσοίκων ἐποικισθῆναι*[40]). Sapienti sat. Num igitur terminus ille temporis quo differt Eunapius a Luciano, Neronis, non Lysimachi tempore illum morbum incidisse perhibens, maiorem sibi fidem deposcere queat quam ceterae satis iocosae illius et miraculosae narrationis apud Eunapium partes, id aliis reputatu dignum videatur. Ego quidem huiusmodi teste tali in re prorsus supersedendum esse duco.

Huius euripidiae Andromedae argumentum et tenorem e fragmentorum sat magno numero restituere studuerunt Welcker[41]), Fritzsche[42]), Hartung[43]), Carolus Robert[44]).

---

[40]) Corpus Scriptorum Historiae Byzantinae. Bonnae. Impensis Ed. Weberi, 1829. Pars I., p. 81. —

[41]) Welcker. Die griech. Tragoedien mit Rücksicht auf den epischen Cyclus geordnet. Abth. II., S. 644—668.

[42]) Fritzsche ed. Thesmophor., p. 494—517.

[43]) Hartung Euripides restitutus II., p. 344—360.

[44]) C. Robert. Archaelog. Zeitung 1878, p. 16—20.

Ceterum Welcker et Fritzsche hac certe in re erravisse putaverim quod Ovidium[45]) accersiverint in numerum eorum *μυθογράφων* qui totam Andromedam euripidiam suum in usum converterint. Dubito enim num inde quod uterque et Euripides et Ovidius Andromedam ab advolante Perseo cum candido simulacro quodam in rupe defixo comparari fecit et quod priore in parte narrationis inter se hic illic consentiunt iam satis appareat Ovidio Euripidis fabulam per totam illam narrationem fontis instar fuisse. Nam posteriores narrationis partes apud Ovidium longe aliae sunt atque in fabula Euripidis. Imprimis pater Andromedae prorsus aliter se gerit apud Ovidium atque apud Euripidem. Graecus poeta Andromedam contra patris voluntatem Perseo nupsisse, latinus eam a patre Perseo ea condicione ut Perseus eam e mortis periculo servasset desponsam esse et postea cum Cephei frater Phineus cuius apud Euripidem nulla mentio fit Andromedam ante sibi sponsam armis repetere conaretur Cepheum Perseo fidem servasse voluit. Ovidium autem hanc de Phineo narrationem ex eodem potius fonte unde Apollodorum (II. 4, 3) hausisse veri haud dissimile est.

Andromedám pictoribus gratam materiam praebuisse Brunn[46]) docuit: a Nicia pictore constat[47]) Andromedam esse pictam, eandem Pelusii in templo Jovis *Κασίου* ab Euanthe pictam exstitisse Achilles Tatius[48]) refert. Si huic auctori fides haberi potest, ibi Andromeda adeo vividis coloribus facta erat ut e viva rupe sponte natum simulacrum esse videretur. Ita iam apud Euripidem (Nauck frg. 124) Perseus non vivam feminam sed *ἄγαλμα* in rupe adspicere sibi videtur. De ceteris antiquae artis reliquiis, quae Andromedam referunt, egerunt Mueller-Welcker[49]) et Fedde[50]). Quod vero pompejana quaedam in pariete pictura Perseum ad ripam sedentem et Andromedae sponsae Gorgonis caput in aqua ut in speculo monstrantem exhibet, ea res non ad Euripidis fabulam referenda est ubi tales lusus locum non habuisse per se patet. Id iam Fedde[51]) et G. Kinkel[52]) viderunt. Nuper vero C. Robert[53]) tragicas personas Cephei et eius uxoris Cassiepeiae et filiae Andromedae cum monstro marino et Persei Pompejis principatus temporibus in pariete depictas esse ostendit.

Iam ut ad canticum illud descendam in quo Mnesilochus Euripidis socer Andromedae euripidiae *μονῳδίαν* saepe ad verbum imitatus est[54]), statuendum est ab initio huius cantici Mnesilochum non aliter de se loqui acsi cruci vel simili cuipiam ligneo instrumento affixus esset idque convenire cum iussu prytanis v. 931: *δῆσον αὐτὸν τοξότ' ἐν τῇ σανίδι*[55]).

[45]) Ovid. Metamorph. IV., v. 664—762.

[46]) Brunn, Geschichte der griech. Künstler II. S. 199 ff. S. 288.

[47]) Plin. hist. nat. 35, 132.

[48]) Achill. Tat. III. cap. 6 sqq.

[49]) Müller-Welcker, Handbuch der Archäologie 414 A. 3.

[50]) Fedde, De Perseo et Andromeda Diss. Berol. 1860 p. 47 sqq.

[51]) l. l. p. 60.

[52]) G. Kinkel, Euripides und die bildende Kunst, Berlin 1871, p. 55 p. 90 Anm. 169.

[53]) Carl Robert, Maskengruppen, Wandgemälde in Pompeji. Archäolog. Zeitung, Jahrg. 36 (1878) S. 20.

[54]) Vocis *παρῳδίας* vim notionemque Taeuberus accurate primus examinavit. (De usu parodiae apud Aristophanem Berol. progr. gymn. Joachim p. 1—5.)

[55]) Numeri versuum abhinc sunt recensionis illius quam Adolphus von Velsen, optime is iam antea meritus de Thesmophoriazusarum et Lysistratae codicibus examinandis, nuper publici iuris fecit (Lipsiae in aedibus Teubneri 1883).

Recte iam Fritzschius ad v. 931 monuerat id supplicium Athenienses omnino de hominibus sceleratis sumere consuesse, „ut eos stipiti tanquam alicui cruci vivos suffigerent.“ cf. Herod. VII. 33. IX. 120. Cum vero *πνὺξ* sit ille locus ubi e Wilamowitzii observatione contionem feriantium mulierum haberi voluit Aristophanes, sine dubio in illo ipso comitiali colle *σανὶς* stabat eiusmodi suppliciis destinata. Haec igitur est illa *σανὶς*, quae cum eo loco oculis se praeberet, aptissimam ad puniendum Mnesilochum ansam porrigere prytani videbatur. Ita nostra in fabula Mnesilochus *σανίδι* adligatus morte multari sibi videtur. Hinc corvos cupidos commemorat v. 1028: *κόραξι δεῖπνον*. Andromeda enim non corvos sed monstrum marinum extimescit, corvi Mnesilocho quasi cruci affixo imminent. Unde non modo moriendum sibi putat esse, sed iam v. 1025 cum exspectes *ἐσώθην* vel tale quidpiam, necopinato et admodum ridicule exclamat: *ἀπωλόμην ὁμῶς* utpote cruciamentis enectus. Nam exaggeratio cum primis comicum decet.

Qui verba *κόραξι δεῖπνον* excipiunt versus, si pauca excipias, plane debentur Euripidi. Nam scholiasta ad v. 1029: *πάλιν ἐξ Ἀνδρομέδας*. Versus hi sunt:

*ὁρᾷς; οὐ χοροῖ-*
*σιν, οὐδ' ἡλίκων ὑπὸ νεανίδων*
*κημὸν ἔστηκ' ἔχουσ',*
*ἀλλ' ἐν πυκνοῖς δεσμοῖσιν ἐμ-*
*πεπλεγμένη κῆτει βορὰ*
*Γλαυκέτῃ πρόκειμαι.*

Ὑπὸ argumento est in hoc Andromedae euripidiae loco aliquid excidisse canendi vel saltandi vocabulum vel omnino aliquod agendi verbum quo quid comites virgines adstante Andromeda egerint significatur. Velsen coniecit *προπεμφθεῖσα* nec tamen hanc vocem in textum recepit. G. Hermannus *ἀοιδαῖσι κημὸν* scribi voluit. Sed hoc vocabulum cum *ὑπὸ* vix ita adhiberi possit hic reiculum est. Quod vero codices *ψῆφον κημὸν* exhibent, sine dubio haec *ψηφὸν* vox e margine ubi glossematis voci *κημὸν* adscripti vicem habebat in textum irrepsit. Ergo supervacanei sunt Fritzschii et Engeri labores qui inauditum quoddam vocabulum *ψηφοκημὸν* fingebant e glossemate *ψηφοθήκην* ortum, ut huius *ψῆφον κημὸν* scripturae originem explicarent. Aristophanes certe nequaquam scripsit *ψήφων κημὸν* quam lectionem ei Fritzschius et Bergkius obtruserunt. Nam caput quantumvis perfricem nihil in his verbis sani ioci videre possum. Nimis quaesitum puto et valde frigidum foret rabulas et iudiciorum amantissimos Athenienses hic ridere praesertim cum multo maior risus moveatur si omissa huius vocis *κημὸν* ambiguitate quam quidem Hermannus et Engerus praetulerunt eam unam significationem sumas quam Euripides huic voci inesse voluit. *Κημὸς* enim num omnino hic „fiscella“ nedum „fiscella calculorum“ sit iure dubito. Nam inter alias huius vocis significationes Hesychius muliebrem quendam mundum vel ornatum sic vocatum fuisse rettulit eaque vis optime quadrat ad huius Andromedae loci naturam. Itaque supersedendum duco ea emendatione quam Fritzschius venditat: *ἱστῶν κερκίδ' ἕστηκ' ἔχουσ'*; iam mihi subolet unde Fritzschio haec coniectura nata sit. Evolve Avv. 829:

*καὶ πῶς ἂν ἔτι γένοιτ' ἂν εὔτακτος πόλις*
*ὅπου θεὸς γυνὴ γεγοννῖα, πανοπλίαν*
*ἕστηκ' ἔχουσα, Κλεισθένης δὲ κερκίδα;*

Quae verba Fritzschii animo cum de sanando Thesmm. loco cogitaret sine dubio obversabantur[56]. Vereor autem ne tali e recordatione speciosius quam sincerius emendandi genus proficiscatur.

ψῆφον igitur (vel ψήφων) cum Velsenio prorsus omittendum puto, κημὸν autem et Euripidi et Aristophani supra laudato cum intellectu vindicandum. Nauckius etiam κημὸν Euripidi abiudicaverat.

V. 1031: ἀλλ' ἐν πυκνοῖς δεσμοῖσιν ἐμπεπλεγμένη
κήτει βορᾶ Γλαυκέτῃ πρόκειμαι,

ubi illud κήτει βορᾶ–πρόκειμαι simile apparet ei esse fragmento quod ex Andromeda affertur schol. Avv. 348: ἐκθεῖναι κήτει φορβάν. Itaque Engerus illum Thesmoph. locum expressum putat in similitudinem huius fragmenti. Atqui saepius mentionem monstri cui virgo exponeretur in Andromeda fuisse habitam probabile est. Ideo cautius egit Nauckius qui et κήτει βορᾶ πρόκειμαι et ἐκθεῖναι κήτει φορβάν Euripidi tribuit. Attamen non abnuerim id fortasse verum esse quod Fritzschius excogitaverit, is enim αὐτοσχεδίασμα quoddam Asclepiadis — ad quem ille locus e schol. Avv. referendus est — hic odoratur: κήτει βορᾶ–πρόκειμαι vere euripidium esse; „cuius loci cum obscurius meminisset Asclepiades, finxisse hominem temerarium Euripidis versum qui nullus unquam fuisset: ἐκθεῖναι κήτει φορβάν nempe ut simillimus esse videretur commentitiae imitationi Aristophanis: καὶ δοῦναι ῥύγχει φορβάν." Ad liquidum sane origo huius similitudinis quae inter Aristophanis et Euripidis versus intercesserit nullo modo perduci potest. Operae pretium est hic comparare alium Avium fabulae locum v. 213, qui mire consentiat cum versu quodam Helenae euripidiae v. 1111:

Aristoph.: ἐλελιζομένης δ' ἱεροῖς μέλεσιν
γέννος ξουθῆς κτλ.
Eurip.: ἐλθὲ διὰ ξουθᾶν γενύων ἐλελιζομένα
θρήνοις ἐμοῖς ξυνεργός.

Et hic aristoph. versus non factus est ad imitandum Helenae versum, cum Helena duobus annis post Aves acta sit. Forsitan seu histrionis cuiuspiam culpa seu auctore minore illo Euripide hic versus ex alia Euripidis fabula quae ante Aves acta erat in Helenam invectus sit. De choro illo Hel. 1301 iam priores interpretes simile quid statuerunt rati eum ex Protesilao huc transiisse. — Si vero κήτει βορᾶ–πρόκειμαι genuinus euripidiae fabulae locus est — id quod scholiasta testatur — non dubito quin vocis Γλαυκέτῃ loco similis quaedam vox in Andromeda fuerit. Taeuberus coniecit ποντίᾳ; ego malim γλαυκίᾳ; cf. Pindar. Ol. VIII. 37: γλαυκοὶ δράκοντες ubi scholiasta adnotat: φοβεροὶ, φοβερόφθαλμοι.

Sed ut enarrando canticum persequar

---

[56]) Hic alterum specimen addo quam mirum saepe in modum hominibus doctis coniecturae nascantur. Varie emendare studuerunt viri docti illum locum ἄγε νῦν ὅπλιζε Μοῦσα Thesmm. v. 107. Bentleius voluit ἄγε νῦν ὁλβιζε, Meineke ἄγε νῦν ὦ κλῆζε Μοῦσα. Utraque vox paulo inferius Thesmm. 117, 118 in conspectu est: ἕπομαι κλήζουσα σεμνὸν | γόνον ὀλβίζουσα Λατοῦς. Hinc sua utrique et Bentleio et Meinekio coniectura obtigit. Ceterum notanda hic est Engeri ratio qua Fritzschium ineptiae accusat quod is ὅπλιζε defenderit. Ego contra Velsenium et Engerum adquiescam cum Bergkio in codd. scriptura ὅπλιζε quam Fritzschius bene fulsit aeschyliis aliquot locis.

v. 1034 *γαμηλίῳ μεν οὐ ξὺν*
*παιῶνι, δεσμίῳ δὲ*

hos duos versus sine iusta causa Fritzschius clausula post *δεσμίῳ δὲ* interpuncta ei enuntiato addixit quod ceteris in editionibus verbo *πρόκειμαι* finitur. Ipsa enim Andromeda Fritzschio *δέσμιον παιῶνα* canere videtur; immo ex hoc loco doctus vir valde ridicule opinatur esse colligendum „vel captivos homines in vinculis custodiaque temporis fallendi causa cantitasse et ipso cantu licet tristiore pectus levasse suum." At ecqui, quaeso, hymenaeus ab ipsa sponsa virgine cantabatur? Quod si *γαμήλιος παιὼν* non Andromedae sed aequalibus innuptis tribuatur oportet, etiam *δέσμιον παιῶνα* ad easdem comites demandandum esse arbitror. Immo cum hymenaeus teste Catullo sit „fictus questus" (LXII 36: At libet innuptis ficto te carpere questu), aptissime verbum *γοᾶσθε* pertinet ut ad *δέσμιον* ita ad *γαμήλιον παιῶνα*. Ergo hoc fere est Andromedae iussum: „Lugete me vinclis datam non ficto sed vero questu." — Inanem vere eorundem verborum repetitionem

v. 1036. *μέλεα μὲν πέπονθα, μέλεος,*
*ὦ τάλας ἐγώ, τάλας,*

Euripidi nimis usitatam Aristophanes in risum vocavit Rann, 1337. 1352. 1355. Cuiusmodi *σχετλιαστικῶν ἐπαναδιπλώσεων* numeravi in Helena plus viginti; non minor fortasse eorum numerus in Andromeda fuit.

Iam ad tantam desperationem processit Mnesilochus ut sibi ipse tristissima imprecaretur:

v. 1050. *εἴθε με πυρφόρος αἰθέρος ἀστὴρ —*

verum *παρὰ προσδοκίαν* hoc votum ita interrumpit ut et sensus et grammatica enuntiati structura necopinatum in finem exeat — *τὸν βάρβαρον ἐξολέσειεν*. Subito enim Mnesilocho in mentem venerat barbarum potius Scytham diris quam se ipsum devovere. Luculentam hanc codicum scripturae interpretationem quam immerito Velsenius reiecit, *τὸν δύσμορον* cum scholiasta et Brunckio substituens, Fritzschius quidem edidit. Similiter grammaticus tenor interruptus et immutatus est Equitt. 1266:

*τί κάλλιον | ἢ θοᾶν ἵππων ἐλατῆρας*
*ἀείδειν — μηδὲν ἐς Λυσίστρατον,*

ubi *ἐλατῆρας* vel potius *ἐλάτειραν* apud Pindarum hic irrisum obiecti, apud Aristophanem primum obiecti, deinde subiecti munere fungitur. Id primus Bergkius viderat qui interpunctionem inter voces *ἀείδειν* et *μηδέν* iure delevit. Quem secutus est Agthe qui iusto largiorem hinc garriendi materiam sumpsit in schedis suis aristophaniis p. 2—12! — Kockius quidem ibi corruptelam suspicatur; sed nihil desiderandum vel mutandum esse videtur, modo *ἐλατῆρας* et subiecti et obiecti partes agat.

Ceterum cum Fritzschius putet Euripidem eo loco quo nunc *τὸν βάρβαρον* vel *τὸν δύσμορον* in Thesmophoriazusis habemus simili sono dedisse *τὴν πάμμορον*, equidem praetulerim *τὴν ἄθλιον*. *E* scholiastae enim verbis: *διχῶς τὸν ἄθλιον* elucet veteres interpretes cum figuram illam *παρὰ προσδοκίαν* hic non iam intellegerent, ex Andromeda ubi *τὴν ἄθλιον* invenissent pro *τὸν βάρβαρον* restituere conatos esse *τὸν ἄθλιον*.

